

Q. F. F. Q. S. //
DISSERTATIO HISTORICO PHILOSOPHICA,
DE

S E C T A GNOSTICORUM,

QUAM,

*Consensu Ampliss. Facult. Philosoph. in Reg.
Academia Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

Maximi Reverendi atque Celeberrimi VIRI,

DN. DOCT. CAROLI
MESTERTON,

Logic. & Metaphys. PROFESS. Reg. & Ordinar.

Publico examini modeste submittit

PETRUS ALMSTEDT,

NERICIA SVECUS,

IN AUDITORIO MAJORI DIE XIX. JUNII, MDCLXII.

H. A. M. S.

A B O Æ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

REGEMENTS-COMMISSARIEN

vid Nerike och Värmlands Infanterie Regemente,
Ådel och Högåkstad,

Hr. JOH. KORSSEMAN.

De mångfaldige vålgärningar, som Herr Commissarien af is-
del godhet mig bewisat, sedan desf käre och välartade Söner
mig anförtroddes, at under mit wistande här vid Kongl. Acade-
mien lära dem nyttiga wetenskaper och på dygdenes ban leda, haf-
wa redan upväckt uti mitt herta en innerlig kärlek och vördnad
för Herr Commissarien, som ingen utan döden kan utplåna. Jag
wille och borde väl vid detta tilfället affäilda Herr Commissariens
mig ertedde vålgärningar och min där af härörande vördnad ut-
trycka; men finner til ingendera nog tillräckliga ord. Ty Herr
Commissarien har icke allenast ofta med orden betygat sin ömna
sorgfällighet om min timmeliga välfärds befrämjande; utan och
i siflwa werket så upphjelpt min torftighet, at jag för allmänhet-
ten nu får framte förlingen af mina Academiska frukter. Emes-
dan detta mit ringa arbete således aldeles stödjer sig på Herr
Commissariens prisvärda godhet, så upoffras det med rätta E-
der allena. Alse därföre Gunstige Herr Commissarie, dese få
Pappersblan med wanlig ynnest, och låten dem få tolka et tac-
samt sinne och vördnadsfullt hierta, samt bewärdigen mig at hä-
danefter få vara innesluten uti Eder gunstiga åtanke. Under
trogna förböner til Allmäten, at han wärdes bekröna Herr Com-
missarien och hela desf fornåma Omvärdenad med all sielförfelig
välmågo i tiden, och efter tiden en ewig fällhet förlåna, fram-
hårdar den, som råknar för särdeles förmon at få fallas

Herr COMMISSARIENS

Ödmjuklasse tienare
PETER ALMSTEDT.



I. N. 3. *§. 1.*



Primis post natum Christum seculis se-
ctam quandam existisse, quæ Gnosti-
corum nomen sibi vindicaverit & va-
riis, eisdemque pernicioſiſſimis er-
rорibus religionem Christianam perturbaverit, in-
ter omnes conſtat, qui historiam illorum tempo-
rum conſignarunt. De his hæreticis eorumque dog-
matibus & vita multa omnino dicenda eſſent, si
omnia, quæ illuc pеrтinent, exacte & accurate ex-
poneremus; ſiquidem quoꝝ auctores tot ferme ſen-
tentiarum divortia de origine & indole dogma-
tum hæreticorum paſſim occurruunt. In tanta au-
tem rerum confuſione, cum admodum difficile ſit
ex scriptis eorum verum a falſo diſcernere, niſi
universalis hujus ſectæ cognitio antecedat, noſtri
inſtituti erit, ea tantum attingere & primoribus

A

quasi

quasi labris degustare, quæ in genere de hac hæresi notatu digna videantur. Atque hæc sunt, quæ tuæ B. L. miti censuræ jam modeste subjicimus, enixe rogantes, velis ea in meliorem interpreta-
ri partem.

§. II.

Ante vero quam ipsam rem attingimus, quid per γνῶσην, unde hi Philosophi vel si mavis hæretici nomen acceperunt, intelligatur, paucis indicare a proposito nostro haud erit alienum. Vox γνῶσης origine græca non omnem qualemcumque scientiam designat, sed cognitionem tantum rerum æternarum, immaterialium & perennium, quæ animo tantum comprehendendi possunt, ut Clemens Alexandrinus testatur: γνῶσης ἐστὶ τὸν οὐτων αἰνεῖν. Quæ verba ita explicari debent: γνῶση seu cognitio est occupata circa res illas, quæ vere sunt & existunt: Stromat Lib. VI. Cap. VIII. pag. 775. Οὐτα vero veterum Philosophorum Græcorum sensu sunt res, quæ mente tantum comprehenduntur, quæque im-
materiales & ex infinito tempore immutabiles sunt & existunt; Teste Jamblico in vita Pythagoræ cap. XXIX. pag. 135. Nomen igitur γνώσεως pri-
mum de hominibus ingeniosis, qui in Schola Pla-
tonis & Pythagoræ excellentiorem cæteris, rerum æternarum, intelligibilium & immutabilium habe-
bant cognitionem, tantum fuit usurpatum, teste Brüchero in historia sua critica. Postea vero Gno-
sticorum nomen ad orientales Philosophos transiit,
quod certe factum est, quando hi litteris Græco-
rum

rum operam navare cœperunt. Hinc ingentes hominum catervæ egressæ, totumque fere orbem peragran-tes semina dogmatum suorum passim sparserunt. Nos vero per Gnosticos heic intelligimus genus quoddam hominum, qui circa initium novi testamenti, in primis autem seculo 2:o exstiterunt, qui-que se non solum certam & solidam rerum æternarum, intelligibilium & perennium, sed etiam ipsius DEI ejusque consiliorum, & caussarum, unde omnia orta sunt, cognitionem habere gloria-bantur: Qui præterea opificium hujus mundi ad alium, quam ad ipsum DEUM tanquam Auctorem retulerunt & Philosophiæ placita, quibus addici erant, cum doctrina Christiana turpiter confude-runt. Hanc autem divinam esse non quidem ne-gabant, sed eam tamen philosophiæ suæ postpone-bant, quamobrem ita eam explicabant, ut Philoso-phiæ eorum consentanea & congrua videretur.

§. III.

Magna inter doctores ecclesiæ fuit controversia, utrum nomen Gnoseos pluribus hæreticis fuerit com-mune, an vero certæ cuidam sectæ proprium. Non desunt, qui probare satagunt, Gnosticos fuisse cer-tam quandam sectam & a cæteris distinctam, ar-gute contendentes, quod quamvis varii hæretici easdem antea opiniones foverint, quas Gnostici post-modum propugnarunt, Gnostici tamen non statim appellati fuerint. Quamobrem etiam hoc nomen sequenti demum tempore invaluisse arbitrantur. Itaque nomen Gnosticorum primum exortum esse

volunt tempore novi Testamenti & certæ eidem
 sectæ impositum, idque, ut monuimus, factum esse
 contendunt seculo secundo. Inter eos, qui hanc
 sovent sententiam primus fuit Epiphanius, quem
 secutus est Augustinus, Pseudo-Hieronymus, Tho-
 mas Ittigius & multi alii. Antea indicavimus, no-
 men γωνιας a multis retro temporibus usu receptum
 fuisse. Quis enim variarum rerum cognitione ex-
 cellere egregium non putat? Jam itaque videndum
 est, quo fundamento eorum sententia nitatur, qui
 Gnosticos certam quandam & a reliquis distinctam
 constituisse sectam nobis persuadere conantur. Quem-
 admodum Epiphanius est primus, ita maximum ro-
 boris ejus testimonio inesse merito judicamus. Si
 enim venerabilem hunc senem lapsum fuisse ostendere
 queamus, cæterorum testimonia nullius mo-
 menti putanda, quoniam ea, quæ hac in re attu-
 lerunt ex Epiphanio plerique sumissile videntur. I-
 gitur Epiphanius Alexandriæ sectam quandam in-
 veniens, quæ auctorem scientiæ suæ agnosceret ne-
 minem, sed tantum de scientia γωνιας gloriabatur,
 in eam adductus est opinionem, hanc esse matrem
 omnium reliquarum sectarum, de sublimi illa sci-
 entia, quæ γωνιας nomine fuit insignita, sibi gra-
 tulantium, quanquam nullas notas, quibus hæc ab
 aliis distingvi posset, nec indagare nedum expone-
 re valeret. Celeberrimus autem Mosheimius in hi-
 storia ecclesiastica majori seculi primi cap. V. com-
 memorat, tempore Epiphanii in nonnullos hæreti-
 cos ita animadversum fuisse, ut, qui a Valentino,

Car-

Carpocratine, Marcione & aliis se profectos esse, confiterentur, in acerbissimum populi odium incurrent, & gravissimis adfligerentur poenis. Hinc credibile est, sectam, ab Epiphanio inventam & commemoratam fuisse ex illarum numero, quæ scientiæ cuidam, ut ita dicam mysticæ fuerunt initiatæ, sed ad odium populi evitandum, sollicite occultaret nomen auctoris scientiæ suæ, & nomen γνῶσης tantum sibi vindicaret. Num sectam quandam unquam fuisse, quæ nullum Magistrum cognitionis suæ habuerit, ceu existimat Epiphanius, id nullo idoneo demonstrari potest argumento, quoniam Scriptores antiquiores Epiphanio ejusmodi nullam mentionem injiciunt. Præterea adhuc magis fides Epiphanii vacillat, quod ipse alio in loco scriptorum suorum sibi ipsi contradicat, omnes illos Gnosticos vocans, qui de Æonibus eorumque conjugiis inepte fabulabantur, hujus mundi ortum ad alium, quam ad ipsum DEUM referebant & Philosophiam orientalem cum religione Christiana commiscebant. Verba ejus hæc sunt: *Omnes se Gnosticos communia appellatione dici voluerunt tam Valentinus quam ceteri ante eum Gnostici*, Lib. contra hæres. §. I. Hinc facile est intellectu, testimonium Epiphanii nullius esse momenti, idque multo magis, quoniam antiquiores cum eo non consentiunt, sed ita de Gnosticis loquuntur, ut, hoc nomen pluribus sectis fuisse commune, facile intelligatur. Qui cum Epiphanio faciunt, ad corroborandam sententiam suam hoc adducunt argumentum, Gnosticos duobus no-

minibus usos esse, uno communi, nempe Gnoſeoſ, altero proprio, desumto ab auctore, cuius dogmaſ ipsiſ maxime arriserunt. Et nihil quidem obſtat, quominus duobus nominib⁹ insigniri potuerint, ſed num ipſi aliquod praeter commune no- men Gnoſeoſ revera agnoverint, haud facile evin- ci potest. Alia nomina, quibus insigniuntur potius a Christianis Doctoribus eis imposta eſſe videntur, ut hæ ſectæ a ſe invicem dignoſcerentur, fatente celeberrimo Moſheimio in historia ecclſ. maj. cit. loc. Quoniam itaque eorum ſententia, qui no- men Gnoſeoſ propriae & certæ ſectæ tribuunt, nul- lo nititur fundamento, firma omnino manet alte- ra, hoc nomen variis hæreticis olim fuſſe com- mune. Nam quemadmodum quiske voluit ingenio- fior cæteris; ita arbitrarium effinxit ſyſtema & ve- rius Gnoſticus eſſe voluit & ab aliis hoc nomine appellari. Quænam ex vagis hiſ familiis primum turbaverit Christianam doctrinam certè determina- re noſtrum non eſt. Verosimile tamen videtur, primos fuſſe Simonianos, quod Theodoreti verba indicare videntur. Omnes, inquit, qui a Si- mo- ne orti ſunt, Gnoſticos ſe ipſos appellarunt, quaſi ſci- entia p̄ditoſ. Quæ enim Divina ſcriptura tacuit, ea DEUM ſibi revelaſſe, ajunt. Tom. III. oper. pag. 490. idem ſentit Irenæus in Lib. II. cap. XX. Atque ſi hiſ originem ſuam debere Gnoſticos ſta- tuamus, a veterum ſcriptorum ſententiis vix la- tum recedimus unguem, qui Menandrum, Saturni- num, Baſilidem & alios inter auctores eorum refe- runt.

§ 7 (8)

runt. Nam Gnosticos tempore Apostolorum suis-
se, ex scriptura sacra satis colligi potest. Et in-
primis ex I Epistola ad Thimotheum, VI: 20. U-
bi Paulus hortatur discipulum suum, ut fugiat τοῖς
βεβίλεσι πενοφωνίας καὶ ἀποθέσεις τῆς ψευδωνύμης γράσσεις. Cum
enim hi homines απὸ τῆς γράσσεις Gnostici dicun-
tur, Apostolus hoc vocabulum studio adhibuisse vi-
detur, ut scientiam, cuius laudem sibi vindicarunt,
non veram, sed pseudonymon esse, ostenderet.

§. IV.

De origine dogmatum horum hæreticorum;
ut pauca adferamus, instituti postulat ratio. Ut ad
liquidam veritatem hac in re perveniamus, vete-
rum scriptorum testimonia, qui originem doctri-
næ Gnosticorum ex Græcorum philosophia & in-
primis Platonis præceptis duxerunt, adferemus, &
quantum penes nos est, ita examinabimus, ut ve-
rum a falso quisque discernere queat. Irenæus
in Lib. contra hæres. II. cap. XIV. ita loquitur
de Gnosticis: *Plato, inquit, inter alia materiam*
dicit & exemplum & Deum: quos isti sequentes fi-
guras illius & exemplum imagines eorum, quæ sunt
sursum, vocarunt, per demutationem nominis semet
ipsos inventores & factores hujusmodi imaginariae fi-
ctionis gloriantes. Plotinus idem fere testatur in
Lib. contra Gnosticos cap. VI. pag. 203. Comper-
tum habemus, eos nempe Gnosticos pleraque a Plato-
ne surripuisse, & quocunque innovant quo Philo-
sophiam

phiam propriam adferant, a veritate procul aberrare: nempe judicia, pœnae apud inferos, flumina, transmigrationes in corpora varia a Platone accipiuntur: item quod in mundo intelligibili ponunt multitudinem, videlicet ipsum ens & deinde intellectum & post hæc opificem alium ipsam etiam animam ex Timaei verbis usurparunt. Ex his allatis testimoniosis satis intelligi potest, patres veteres accusare Gnosticos, quod partim nova tantum nomina notionibus Platonis imposuissent, partim multa ab eo ad se traxissent, partim nova quædam addidissent, ut novam quandam Philosophiam sic condere viderentur. At hi & omnes alii, qui eorum preserunt vestigia, multum a veritatis tramite deflexerunt. Quamvis enim allata testimonia sententiam eorum, qui Gnosticorum doctrinæ originem a Platone deduxerunt, confirmare videantur, simul tamen indicant, eos nempe Gnosticos cum Platone nihil rei habuisse. Firmissimum argumentum, quo sententiam suam confirmare videntur veteres scriptores, ex convenientia utriusque philosophiæ, Platonis nempe & Gnosticorum fuit desumptum. Sed isthanc convenientiam mox admirari desinemus, si cogitemus, patres veteres sublimis illius, ut notum est, philosophiæ orientalis, ex qua Gnosti scientiam suam habere profitebantur, ignoras fuisse & Platonis philosophiæ tantum non omnes addictos. Itaque cum in Platonica philosophia vestigia quædam invenirent, quæ Gnosticorum dogmatibus convenienter,

re videbantur, eam facile amplexi sunt sententiam, Gnosticos ex præceptis Platonis dogmata sua mutuo sumfisse, & novo habitu in scenam orbis produxisse. Concedimus equidem aliquam convenientiam esse inter utramque Philosophiam Platonis & Gnosticorum, simul tamen negamus, eam adeo magnam esse, ut illius Philosophia eslet fons & origo horum doctrinæ. Si enim justa mentis trutina expendamus utriusque philosophiæ habitum, formam docendi finemque & alia, eaque inter se attente conferamus, magnum harum disciplinarum videtur discrimen. Nam sententia Gnosticorum de Aeonibus eorumque mirabilibus conjugiis Platonii omnino fuit ignota, qua tamen ceu cardine tota Gnosticorum philosophia nititur, idem de mundo ejusque ortu & Gubernatione dicendum, quippe a Platone in hoc capite adeo discrepant Gnostici, ut nullam fere speciem similitudinis utriusque dogmata habeant, sicut Celeberrimus Mosheimius in hist. eccles. maj. Seculi I:mi caput V. pag. 343. & seqq. satis superque exposuit. Præterea Porphyrius & Plotinus, Scholæ Platonicae ornamenta, aperte testantur, Gnosticos Platonem nunquam probasse, sed ut deitatis profunditatem minus penetrantem contemfisse. Vid. Plotinum in vita Porphyrii cap. XVI. pag. 118. Si autem Plato auctor scientiæ Gnosticorum fuisset, tantæ auctoritatis ~~omniorum~~ non certe deseruissent, quoniam nominis Platonici eo tempore tanta erat fa-

ma & existimatio, ut pondus potius doctrinæ eorum, quam detrimentum addere potuisse augsta, quam de illo conceperant, opinio. Ex his jam in medium allatis satis liquet, principia Platonis & Gnosticorum, utpote toto cælo diversa non esse confundenda. Unde prono, ut dicitur, fluit alveo, hos scientiam suam ex illius præceptis non depromisse. Hoc scrupulo ita remoto, ex orientali philosophia Gnosticos Doctrinam suam huiusmodi paucis ostendemus. Celeberrimus Mosheimius satis testatum fecit, in oriente circa tempora Salvatoris nostri ejusmodi philosophiam, quam **Gnosti**ci profitebantur, floruisse. Quid igitur verisimilius, quam quod ipsi Gnostici ex hac scaturigine rivos dogmatum suorum derivaverint. Hæc vero testimonia eo minus in dubium vocari debent, quanto certius constat, libros, quos circumulerunt, & in quibus principia dogmatum eorum continebantur, in oriente fuisse divulgatos, ut Soroastri, Softriani, & aliorum, quos nominare vix opus erit, cum hæc ipsa cuivis in hisce aliquantum versato, plana sint & perspicua. Hæc sufficient de origine Gnosticorum, plura qui de hac desiderat, consulat celeb. Mosheimium in historia Eccles. majori caput V. Seculi primi.

§. V.

Postquam ita breviter quidem, sed pro instituti ratione sufficienter explicuimus, unde se-cta

Ita illa originem habeat, & quinam sub nomine
Gnosticorum intelligantur, transitum jam facimus
ad dogmata eorum evolvenda, quæ fuerunt vel
ipsis solis propria vel cum aliis communia. Si
cut igitur diversi admodum generis fuerunt Gno-
stici, ita quoque non eadem placita singulis arri-
serunt; sed maxime a se discrepant pro ratio-
ne sectarum, quibus erant addicti & pro condi-
tione horum hæreticorum, quorum quidam ex Ju-
dæis, quidam ex paganis ortum traxerunt. Pro-
pria eorum dogmata aliis rite excutienda relinqui-
mus & ea tantum paucis exponemus, quæ ex phi-
losophia orientali habuerunt, & in quibus omnes
fere consenserunt. Hæc autem in primis in duo
capita dividi possunt, quorum alterum duplex prin-
cipium independens comprehendit. Alterum fabu-
las de Æonibus sive emanationibus Divinis tradit.
Quod ad primum attinet, cogitationes eorum de
Deo infinito, si quid ego in re Cimmeriis tene-
bris involuta video, huc ferme redeunt: quod de-
tur mens quædam æterna, tota bona, perfectissi-
ma & luce quadam æterna circumcepta; im-
mo ab ipsa natura ad bonum faciendum ita pro-
clivis, ut nihil mali facere posset. Attamen ma-
teriam omnium malorum semina in se continen-
tem DEO coæternam fuisse simul contendebant.
Illiud summum Numen, cuius Majestatem cum ne-
que animo comprehendere, neque cogitatione ad-
sequi ullus eorum posset, ante omnia divina ex-

stitisse contendebant, atque in comprehensibile ma-
 re & omnium divinorum fontem constituerunt.
 Præterea hunc ipsum DEUM infinito tempore otio-
 sum esse & nihil extra se agere existimatunt,
 sed tantum fieri pati, quæ facta sunt, teste ire-
 næo in lib. contra hæres. cap. I. pag. 3. Quod
 ad secundum attinet, antea indicatum est, hos fa-
 naticos homines, caussas, ex quibus omnia orta
 sunt, facili detegere negotio se posse, gloriari so-
 litos. Quia in re, ne fidem frustrari viderentur,
 virtutes seu emanationes quasdam ex summi Nu-
 minis profunditate effluxisse, pro certo habebant,
 quas nomine αἰώνων græca lingua appellarunt. No-
 tum est, vocabulum αἰών ab Aristotele, qui hanc
 vocem saepius adhibet, propriè sumi pro spatio
 temporis, quod unaquæque res vivendo expletat.
 Præterea vero accipitur quoque pro tempore illo,
 quo vita hominis absolvitur. Præter hæc multas a-
 lias apud antiquos scriptores hoc vocabulum su-
 stiner significationes, quas Damascenus in lib. II.
 de ortodoxa fide cap. I. pag. 153. enumerat. Tem-
 pore vero recentiori hoc vocabulum a nonnullis Phi-
 losophis usitatum est ad rerum æternarum & intel-
 ligibilium ætatem significandam. Methonymice su-
 mitur hæc vox etiam pro re ipsa, quæ infinito
 tempore durat. Quare αἰών interdum significat i-
 psum DEUM, ut Celeberrimus Mosheimius in hist.
 eccles. maj. seculi I:mi caput I. refert. Nonnulli
 per Ἀones angelos designatos volunt. Vid. Re-
 nat,

nat. Massueti diss. I. in Irenæum pag. XXXII. Alii vocabulum *אֵוֹר* derivare volunt ab Hebræa lingua, idque a vocibus *רַעַי* vel *רַעַת*, quæ fontem & oculum denotant, ut And. Segerberg in Dissertatione sub præf. S. Bring Lundini Gothorum edita. Quæ quidem ratio denominationis, quamvis probabilitatis Speciem habeat, cum a Gnosticis Ηέωνες haberentur pro caussis omnium rerum, nunquam pro vera & apodictica assumpsi potest. Nam ut Orientales præsertim lingua græca utebantur, ita credibile est, vocem *אֵוֹר*, originis esse græcæ. Addo, quod expresserint interdum *אֵוֹרְס* per *αὐτόματον*, quod vocabulum fonti aut oculo nusquam apud Auctores æquipolle, quod Hebrææ voces significant. Ex quacunque lingua vox *אֵוֹר* derivatur, fatemur, difficillime esse dictu, quid illi fanatici de recondita quadam scientia sibi in pene gratulantes, hoc vocabulo proprie indicare voluerint. Nisi autem omnia me fallunt, quidam per Ηέωνes virtutes illas substantiales intellexerunt, quæ ex DEO egressæ divinam quidam naturam habent, at peculiari ratione existendi a suo fonte diversam. Quam sententiam adoptarunt Celeberrimus Mosheimius & Brücherus. Maxime vero credibile est, hos fanaticos non semper eundem significatum vocabulo Ηέονi tribuisse. Horum enim Ηέονum duo sibi finixerunt genera, quorum alterum agendo alterum patiendo ad emanationis virtutem extendendam concurrerunt, Modum ostensuri, quo hi propagabantur,

sexum masculinum & fœmininum inter eos excogitabant, quorum conjugiis omnia spiritualia ortafuisse amantes hi amentes existimarentur. Cum autem hunc mundum a tam disparibus particulis congestum conflatumque, & insuper malis physicis & moralibus laborare viderent, structuram illius DEO tribuere religioni sibi duxerunt, quippe cuius maiestatem sic nimis læderent. Itaque, ut modum ostenderent, quo hic spectabilis mundus ortus erat; laxo imaginationis beneficio fixerunt, unum prædictorum Æonum invito DEO longius a fonte suo egressum, tam impuram naturam & crassam indolem contraxisse, ut perfectione sua destitutus, nihil spiritualitatis & divinitatis amplius haberet, sed omnia in Fordidam materiam coaluisse. Eodem ferme modo, quo lumen a splendidissimo igne vibratum, quo longius a corpore lucido recedit, eo magis infirmatur, & tandem ita diminuitur, ut postremo vix ullum lucis signum permaneat. Huic tam crassa congerie stipatae naturæ opificium hujus mundi materialis tribuentes nomen Demiurgi imposuerunt. Animam vero hominum divina origine esse negare non sustinuerunt, quoniam in ea splendebat aliquid divini, quod Demiурgo adscribere non poterant. Illum scilicet ignarum, impurum & ipso DEO multo inferiorem putabant. Ex hujus Demiurgi cortice alias qualitates & substantias pejore indole egressas esse arbitrabantur, quas malos dæmones appellauit. His imperium hujus mundi tribuebant,

bant, & caussas esse omnium malorum, quibus homines affliguntur & hic mundus turbatur, sibi aliisque persuadebant. Hæc sunt principia maxime nota, quibus tota Gnosticorum philosophia & religio fundatur, atque hæc sunt meditationes eorum de ortu omnium rerum.

§. VI.

Gliscunt continuo errores & latius serpunt, ubi semel invaluerunt. Hinc videmus Gnosticos figura novis continuo fragmentis cumulasse. Statuebant igitur omnia mala atque incommoda, quæ hominibus eveniunt, morbosque tam corporis quam animi a geniis hujus mundi dominatoribus & felicitati hominum inadvertibus, profisi: Deum his malis mederi non posse; quoniam conditione emanationis ipso invito acciderant. Ut tamen homo ab his adhaerentibus malis liberaretur, DEUM optimum quibusdam hominibus tantam vim & facultatem concessisse perhibebant, ut Dæmones ejicere & morbos certis barbaris verbis, plerumque pro lubitu effectis, sanare possent, quod multi & veteres & recentiores scriptores confirmant. Cum autem animas nostras originis prorsus divinæ esse & fatali casu, cum corporibus, invito DEO conjunctas existimarent, in perversam illam prolapsi sunt opinionem, corpora carcerum loco habenda esse, in quibus animæ captivæ ab adversario DEi, materiæ domino tenerentur. Ut animæ

vero

vero e vinculis corporum eo citius liberarentur, odium corporis sapientibus commendabant & varias exercitationes philosophicas proponebant, quibus redditum ad DEUM sibi faciliorem redderent. Sed cum ejusmodi voluntaria tormenta non omnes, præcipue, qui erectioris essent indolis, libenter subirent, factum est, ut Gnostici in varias sectas fuerint divisí. Namque ut imaginationis placita sequebatur & fictis rebus præcipue delectabatur hæc secta, quoties novi quid in buccam gnosticis veniebat, illud retinebant, pristinis autem sententiis nuntium mittebant. Quod autem animas hac in vita ab adhærenti malo non omnino purgari posse arbitrarentur, varias post mortem posuerunt purgationes, quibus peractis, animæ ad fontem unde profectæ sunt, mundæ redirent.

S. D. G.

